QUID SIT FACIENDUM,

SI VESANI AUT MEDICAMINIBUS AUT CIBIS ASSUMENDIS

OBSTINATE RELUCTENTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA
RHENANA

AD

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE GRADUM

RITE ASSEQUENDUM

CONSCRIPSIT ATQUE PUBLICE DEFENDIT

GUILELMUS LOOCK

HAUENSIS

DIE XII. SEPTEMBRIS MDCCCXXXII.

BONNAE

LITTERIS CAROLI GEORGII.

VIRIS CLARISSIMIS

FRIDERICO NASSE

A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS

PRAECEPTORI MAXIME VENERANDO

ET

MAXIMILIANO JACOBI

CONSILIARIO MEDICO SUPERIORIS ORDINIS

PRAEPOSITO HUMANISSIMO

HOC OPUSCULUM GRATISSIMA MENTE SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In nosocomio Siegburgensi assistentis munere mihi per duos annos fungenti quum ex officio illi aegroti, *qui aut medicaminibus aut cibis assumendis obstinate reluctarentur*, essent tractandi, larga hac de re experientiae acquirendae copia fuit data; quare dissertationem inauguralem medicam scripturus eo libentius, *quid in tali casu sit faciendum*, explicare apud animum constitui, quo magis et virium modulo convenire illam existimabam materiam, et ipse proinde miserrimorum hominum sorti allevandae apta quaedam hac de re communicare mihi posse videbar. Nunquam igitur ad scriptorum recurram libros, nisi tum, ubi putem, ex horum sententiis meam aliquam posse vel egregium testimonium ac fidem nancisci, vel confirmari, vel denique compleri et copiosiore affundi luce. Caeterum

praefari me oportet, eam potissimum laboris partem, qua operationum instituendarum via et ratio explicaretur, diligenter a me esse exaratam, ut quae non solum maximi sit momenti, sed etiam ea, de qua pauci solummodo, inter quos **Jacobium** et **Haslamum**, viros in vesanorum cura exercenda experientissimos referre possum, experientia docti scripserunt.

Quodsi viri in vesanis curandis versantes haud incommode me hucusque eorum medicum in hac parte egisse, nec, quae egi, sine aliquo usu publico jam conscripsisse censeant, satis largus mihi laboris mei fructus dabitur.

Inter varias artis medicae in curandis vesanis exercendae difficultates profecto haud minima est illa, quum aegroti aut medicaminibus aut cibis assumendis obstinate reluctantur. Quodsi vero non nisi medicamina refutent, plerumque non vitae, sed curationis solummodo non obtinendae periculum imminet; quin interdum aliae remediis applicandis viae patent. Balnea, infrictiones, clysmata, vapores, et cibi remediis sapore carentibus misti aliaque ingeniose excogitata medicum prudentem plerumque in difficultate ista aliquatenus superanda juvabunt; quare prolixius hac de re disserere eo magis hic supersedemus, quo plura eorum, quae posthaec ad cibos porrigendos commendabuntur, medicaminibus quoque refutatis adhiberi possunt.

Multo majoris autem res est momenti, si aegrotantes alimenta vitae necessaria respuant. Knightius [1]) quidem, sibi semel tantum vi adhibita opus fuisse, profitetur, neque dicere dubitat, suam esse opinionem, exspectando et persuadendo aegrotis medicum semper ad finem esse perventurum. Nos autem experientia edocuit, periculosissimam istam esse exspectationem et vanam aegrotis persuadendi spem; neque aliter medici in curandis vesanis versatissimi sentiunt. Jacobius [2]),

---

1) Beobachtungen über die Ursachen, Symptome und Behandlung des Irreseyns, von Paul Slade Knight, a. d. Engl. von Friedr. Engelken. Cöln 1829. Pag. 85 — 88.

2) Beobachtungen über die Pathologie und Therapie der mit Irreseyn verbundenen Krankheiten, v. Dr. Max. Jacobi. Elberfeld 1830. Band 1. pag. 224, 235 u. 236.

Hornius [3]), Oeggius [4]), Esquirolius [5]), Pinelius [6]), Burrowius [7]) et Haslamus [8]) in illud unum consentiunt omnes, obstinatam illam ciborum recusationem rem esse et medico tristissimam et aegroto periculosissimam. Multi ab hisce viris enarrantur casus, in quibus aegroti aut ad mortem usque omne alimentum refutaverunt, aut certe ideo, quod non nisi parum cibi arte ingeri poterat, lente appropinquantem mortem sibi consciverunt. Et revera non adeo raro fit, ut aegroti nihil prorsus edere velint. Nam per hos duos annos, quos Siegburgi versatus sum, quatuordecim jamjam casus occurrerunt, ubi, omnibus artibus frustra tentatis, ad operationem instituendam recurrere nobis opus fuit; quorum quidem aegrotorum alii semel vel bis tantum, plerique autem saepius obstinatissime omne alimentum recusaverant. Variae enim causae sunt, quibus ductos aegrotos cibis abstinere reperies; alii venenum cibis immixtum metuunt, alii propter causam quamcunque religiosam, alii sola ineptia prohibente edere nolunt; nec non denique sunt, qui hoc modo medicum, ut ipsos dimittat, compellere velint; apud plurimos autem, si animum diligenter adverteris, in corporis, praeprimis tubi alimentarii quacunque labe causam invenies positam esse primariam. Attamen non eadem his omnibus in reluctando est pertinacia, quae impediat, quin cessaturae obstinationis praesagium edicere possis; sed hoc, quum minus ad nos spectet, praetereo, potius, quid sit medico in tali casu faciendum, expositurus.

---

3) Nasse's Zeitschrift für psych. Aerzte, Heft 1. für 1819. pag. 155.

4) Die Behandlung der Irren im Juliushospital zu Würzburg, von Dr. Jos Oegg. Sulzbach 1829. pag. 361.

5) Esquirol's allgemeine und specielle Pathologie und Therapie der Seelenstörungen, von Dr. Hille. Leipzig 1827. pag. 362.

6) Traité medico - philosophique sur l'aliénation mentale, par Ph. Pinel, seconde édition, à Paris 1809. pag. 296.

7) Commentaries on the causes, forms and treatment of insanity by George Man Burrows. London 1828. pag. 461 — 63.

8) Nasse's Zeitschrift für psych. Aerzte, Heft 1. für 1819. pag. 158.

Duae hic omnino medico viae patent, prout aut id effeceris, ut sua sponte cibos assumat aegrotus, aut saltem illum, quominus, quae vi ingesseris, respuat, impediveris; quarum quidem viarum illa mitior, haec contra severior est; quamobrem in nosocomio Siegburgensi non prius hanc ingredimur, quam illam sine usu absolverimus. Primum enim omnium in valetudinis conditionem, imprimis autem in abdominis statum inquirimus, ac si quem invenimus morbum ciborum abstinentiae causam, lege artis eum curamus; quo facto non raro sua sponte aegrotus cibos appetit. Quodsi vero aut nullum invenerimus morbum, aut, qui aderat, abstulerimus, aut, qui auferri non posset, quantum quidem ex arte liceret, sublevaverimus, multa etiam alia, quae artis periti sive humanitate ducti, sive astutia adjuti, sive necessitate coacti ex usu esse invenerunt, et in usum publicum commendaverunt, ut aegrotum commoveamus, tentare ac facere non negligimus. Venenum qui metuunt, saepissime cibos, quos suspectos non habent, lubenter assumunt; quibus facile indulgeas, dummodo cibos sufficienter nutrientes elegerint. Attamen longe praestat, si tui fiduciam aegroto facere possis, sicuti Jacobius 9) eo sui fiduciam fecit, quod ipse una cum aegrota jusculum huic destinatum edit, et in posterum ancillam idem facere jussit. Qui aliqua de causa sive ad Deum sive ad rempublicam spectante edere nefas esse putant, non raro justa et legitima aliqua auctoritate commoventur. Alii edere non aspernantur, si aut seorsum, aut clam, quid quod et furtim hoc facere licet; quibus quidem variis desiderii generibus quousque indulgendum sit, sana quemque ratio facile docebit. Multi denique, inter quos illi potissimum referendi sunt, qui jejunio medicum, ut ipsos dimittat, compellere volunt, aut ob aliam quamcunque causam ineptam nec raro malignam cibos refutant, plerumque poena aliqua, ut alimenta vitae necessaria assumant, facile commoventur; saepe etiam, dum haec et id genus alia adhibentur, rediit, quod evanuerat, justum ciborum desiderium; quo omnis

9) L. c. pag. 537.

obstinatio superatur. Attamen haec omnia et innumera sunt, et ea, quae cuiuslibet ingenio relinqui possint, neque inficiandum est, eo saepius hisce artibus aegrotum ad victum justum posse reduci, quo medicus est et humanior et ingeniosior et majore vitae ac morum gravitate insignis; quare nobis non nisi leviter haec attingere in animo fuit.

Quodsi vero aegroti obstinati his omnibus artibus flecti nequiverint, jam alteram eamque severiorem viam ineas oportet, qua aegrotos, quominus, quae vi ingesseris, respuant, impediveris. Generatim vero prius hic quaedam monenda veniunt.

Quas viri expertissimi in hunc finem proposuerunt varias agendi methodos, omnes plus minus violentae sunt operationes; quapropter recte quidem monet Burrowius [10]), ne hominibus rudibus et insciis illae committantur, sed superiori cuidam praefecto, qui periculum praestet. Aegrotos enim dicit suffocatos esse in operatione perficienda, et injuria saepe afflictos, quamvis maxima adhibita fuisset cura. Nos autem vel hoc asserere non dubitamus, operationes ejusmodi non nisi ab homine medico perpetrari debere, quum interdum casus perquam periculosi, interdum mere simulati accidant, quos extemplo dignoscas necesse est, ne aut summum periculum inferas, aut ridicule ab aegroto decipiaris. Nam non facile quis crediderit, quanta his interdum insit versutia; de qua infra quaedam monenda mihi erunt.

Tempus vero si quaesiveris, quo operatio instituenda sit, equidem palam profiteri nullus dubito, plerumque illam non ultra duos, rarissime ultra tres dies post cibos recusatos esse differendam. Nam per hoc tempus omnia, quae modo operationi praemittenda commendavi, sufficienter tentari potuerint, et fames, si qua defuisset, sine dubio redierit. Ubi vero aegrotus crebro victum recusare solet, ne tamdiu quidem expectare licet, ne ex inedia paulatim detrimenti quid capiat; quod

---

10) L. c. pag. 666.

idem de aegrotis jamjam debilitatis valet. Praeterea haec in nosocomio Siegburgensi lex est, ut, quamvis obstinatissimos se gesserint aegroti, tamen, priusquam operatio instituatur, servi custodes, quid nulla vi adhibita perficere possint, tentent, deinde si nihil profecerint, aegrotum ad sellam coërcitionis alligent et medicum assistentem arcessant. Ad hunc autem jam prius, ac, si fieri potest, coram aegroto, operatio defertur; qua ipsa re aegroti interdum, dum alligas eos, ut edant commoventur. Quodsi vero arcessi me opus fuerat, equidem semper summam curam adhibui, ut aeque humanum ac strenuum me exhiberem. Primo enim amantissime et, quantum potui, gravissime, ut aegrotus ederet, monui et exhortatus sum; deinde ad vim exercendam mihi esse transeundum asserui; quare instrumenta expedivi, eorum usum explicans; quodsi frustra hoc fecissem, tum denique ipsam inchoavi operationem; nec raro in primo operationis actu aegroti, se velle edere, alta exclamaverunt voce; neque equidem unquam tam immanis fui, quin ab operatione desisterem, sed non aliter unquam destiti, nisi graviter monens, ne, quam semel donavissem, neque iterum offerrem gratiam, aegrotus repueret. Et memoriae hic sane rem observavi dignissimam, quod inter viros ex denis octoni ederent, inter feminas contra ex denis octonae denuo recusarent. Quod vero si fecissent, denuo operationem inchoavi, nullius porro sive promissionis, sive deprecationis, sive opprobrii curam gerens. Feminam aliquando et obstinatissimam et versutissimam, o te crudelem, o te immanem! exclamare memini, sed quietus, quae volebam, perpetravi. Praeterea, dum aderam, custodes non solum, id quod valde amant, aegrotum aut irridere, aut miserari vetui, sed ne loqui quidem ultra quam quod opus esset, passus sum. Operatione deinde perpetrata, priusquam abirem, semper monui, ut curaret aegrotus, ne iterum arcessendus forem, plerumque praedicens, quid tunc essem facturus. Nam prout aegroto inerat sive obstinatio, sive malitia, sive vesaniae species et mentis vigor superstes, varias, secunda et tertia vice arcessitus, inivi vias. Casus fuerunt, ubi quavis vice viam modo descriptam sequerer; nec non fuerunt, in quibus secunda vice arces-

situs nullius rei ratione habita operationem feci. Maximo cum fructu hac postrema severioreque via in duabus feminis usus sum. Hac ratione humanitatem cum severitate jungens non solum magnam saepissime vim ad compellendum aegrotum exseruisse mihi visus sum, sed etiam nunquam, quod alii quidem vereri videntur, natum inde erga me aegrotorum odium sum expertus. Sed iam ad ipsas operationes explicandas transeamus.

Omnes, quotquot cognovi operationis methodos, in duo omnino genera distribuuntur. Sive enim cibi in ventriculum ingeruntur, ita ut aegrotus deglutire supersedeat, sive hic, cibos ori infusos ut deglutiat, cogitur. Quum vero utriusque generis operationes instrumentorum ope instituantur, ex horum usu apto multum pendet; de quo disserturi eam explicabimus rationem, quam nos experientia edocuit optimam esse, adjecturi passim, quae in libris memoriae digna invenerimus.

Et primo quidem loco, ubi cibos in ventriculum ita immittimus, ut aegrotus vel deglutire supersedeat, tubulum ex materia caoutchouc dicta confectum in ventriculum introducimus, cujus ope cibi fluidi ventriculo infunduntur. Quod vero tubulum istum attinet, notissimum illum esse opinor, quare pauca tantum de illo monebo. Firmissimos nos invenimus esse illos, quos mechanicus Parisiensis, Feburier, praeparat; firmiores etiam esse illos, quos Londinensis ille mechanicus Weissius conficiat, Philippus a Walther [11]) affirmat. Cunctos autem in illo vituperamus, quod in ima eorum parte duae fenestrae alternis lateribus incisae sint. Nam in hac ipsa parte quam facillime rumpuntur, aut saltem, dum eos introducis, in superioris fenestrae regione duplicantur; quo vel totus tubulus obturatur. Multo igitur magis nobis placeret, si tubulorum ima pars perforata esset; quo et firmiores essent, nec tam facile duplicati obturarentur; neque enim quidquam

11) Journal der Chirurgie etc. Bd. 14. Heft 2. (Reise nach London).

tam ingratum accidere potest, quam si tubulus multo labore introductus, cibos immissos transire non sinat. Multos equidem tubulos, ad fenestram superiorem infractos, ad hanc regionem amputavi, et laevigata deinde ejusdem extremitate inferiore, per longum inde tempus adhibui; neque unquam postea talis tubulus insertus jusculum infusum occlusit.

Hunc igitur tubulum si introducere volo, aegrotum prius ad sellum coërcitionis alligari jubeo. Interdum etiam aegroto in lecto cubante operationem institui; quod vero minus aptum videtur, quia pluribus famulis indiges, neque horum ope aegrotus tam immotus teneri potest, quam quum in sella sedet. Haec deinde eousque reclinatur, ut quadraginta fere graduum angulum ad terram habeat; quo facto famulus pone sellam stans aegroti caput, manibus ad frontem et tempora admotis, firmiter ad pectus suum applicat, sed ita, ut illud nec promoveatur nec retrahatur, sed erectum trunco insideat. Nam prono capite tubulus difficile in nasum immittitur, et difficilius etiam, licet nasum transiverit, in fauces descendit; reclinato vero capite larynx ad vertebrarum colli corpora firmiter apprimitur, quo occluditur oesophagus, ita ut transiri nequeat, et praeterea tubulus facilius in laryngis partes superiores vel adeo in rimam glottidis descendat.

Hoc modo capite fixo, tubuli calcfacti et oleo inuncti pars ima in alteram narium immittitur, et per illam in fauces introducitur; quod interdum facili fit negotio. Non raro autem conchae narium obstaculum offerunt; quod quidem quo facilius evincas, tubulus patienter modo dextrorsum modo sinistrorsum, modo sursum modo deorsum movendus et leviter premendus est; interdum quoque eo facilius per alteram narium transit, quo difficilius altera fuerat pervia. Conchis narium vero superatis tubulus nullo porro obstaculo retentus per choanas in fauces prolabitur. Hic denuo plerumque obstaculum sese offert, quod quidem non raro facile superscenditur, interdum vero tantum mihi negotium facessivit, ut operatione cogerer abstinere. Triplex hic omnino occurrere impedimentum, usus me docuit. Nam aut vo-

mendi conatus violentissimus exoritur, aut tubulus laryngis partibus superioribus juxta epiglottidem et infra os hyoideum sitis innititur, aut in ipsam rimam glottidis delabitur.

Et vomendi quidem conamina, quae, simulac tubulus per choanas in fauces pervenit, plerumque exoriuntur, tubulum saepenumero in cavitatem oris protrudunt. Ibi aegrotus lingua ad palatum fortiter appressa illum retinet, ita ut vanus sit omnis medici labor; quod quum primo invenissem fortuito, post justa inquisitione facta saepius expertus sum. Quare quum tubulus per nasum et choanas transiverit, nihil aptius visum est, quam ut tubulo caute promovendo vomendi conamen quasi provoces; quo quidem provocato, qua ratione tubulum sursum tolli sentis, eadem retrahas oportet. Quodsi enim tubulum obstinate protruseris, vix fieri potest, quin vomendi conaminibus in oris cavitatem propellatur. Quoties vero vomendi conatus absolutus fuerit, toties tubulus denuo protrudendus est, quum pharynx, dum desidit, plerumque pervius fiat, praesertim si forte aegrotus, id quod caute evitare solet, deglutiendi motum fecerit. Attamen neque haec ipsa vomendi conamina ab omni aegroti arbitrio libera dicenda sunt; immo vero multi mihi obtigerunt casus, in quibus aegrotos obstinatissimo illa perficere arbitrio liquit. Neque etiam alia praeter haec vomendi conamina causa est, qua tubulus tam frequenter laeditur, ita ut vel recens tubulus non raro ad fenestram superiorem infringatur, ubi semel tantum vel bis in os propulsus fuerit. Caeterum haec vomendi conamina causam continere videntur, cur tubulus laryngis partibus accuratius modo definitis insistat, vel in rimam glottidis pervenire possit, quamvis has partes ideo, quod anterius sitae sint, a tubulo tutissimas esse facile quis crediderit. Nobis autem casus obvenerunt, in quibus tubulus ne minimum quidem protrudi posset, quamvis omnis vomendi conatus desiisset, ita ut nullam aliam hujus eventus causam eruere possemus, nisi quod tubulus laryngis partibus superioribus institisset; quod idem fieri posse, si capite justo magis reclinato larynx ad vertebrarum colli corpora firmiter adprimatur, supra jam monuimus.

Iisdem causis efficitur, ut tubulus in rimam glottidis perveniat. Quae vero pars quum adeo sensilis sit, infaustus iste eventus raro quidem obtingit, nihilominus tamen saepius mihi obtigisse jure affirmare posse mihi videor; quare haec signa afferre licet. Simulac tubulus in glottidis rimam pervenit, tussis auditur quam maxime peculiaris, ita ut describere fere nequeam, quum ab omnibus, quotquot hucusque audivi tussiendi modos, nimium quantum differat. Neque etiam vere tussis dici potest, sed tussiendi potius conatus; propellitur quidem aër, sed laryngis sonus et clangor maximam partem deest, neque aliud quidquam nisi sonus raucus, submissus, et iisdem, quibus tussis, intervallis auditur. Simul quoque aër exspiratus, praesertim si tubuli pars ima fuerit perforata, quales ego tubulos in ejusmodi casibus forte adhibui, per infundibulum, superiori tubuli parti impositum, cum sonore quodam propulsus auditur. Tubulo deinde remoto vocem quoque raucam observavi, quae vero cito in naturalem transiit. In universum denique ingratus hic eventus tota aegroti conditione et toto ejus habitu proditur. Rubor enim faciei, qui jam inter vomendi conamina exsistere inceperat, cito increscit, aegroti mentis perturbatio valde augetur, maximus angor manifesto apparet, simul omne corpus, omnes artus rapide convelluntur; quo vel lora firmissima vidi dirupta. Neque tamen celandum est, postrema haecce signa non raro esse fallacia, quum interdum nihil nisi aegroti stomachum ad furorem esse provectum prodant. Attamen moderatus quidem medicus in utraque tempestate vela contrahet; equidem, si vox deinde esset raucior, nisi caetera, quae modo enarravi, symptomata deessent, rimam glottidis fuisse affectam, haud dubitarem. Sed caveas, ne qua ratione hoc periculum quam maxime verendum timere te prodas. Femina enim, de cuius obstinatione et versutia jam supra dixi, quamquam ne verbo quidem locutus fueram, tamen, postquam semel illud acciderat, quid maxime vererer, intellexerat; quare affectum priorem, quoties tubulum introducere conarer, simulavit; quo non mediocrem mihi concitavit perturbationem, immo vero, postquam tubulus jam in ventriculum descenderat, illudere me

perrexit, ita ut non semel tubulum essem extracturus, nec nisi quum diu exspectavissem, jusculum infundere auderem.

Faucibus denique superatis, equidem nunquam tantum offendi obstaculum, ut extrahere tubulum sim coactus; immo vero hunc plerumque uno tenore in ventriculum descendere expertus sum. Majora autem obstacula Jacobio [12]) usu venerunt, qui optimam illorum superandorum artem patientiam expertus est. Causam post mortem invenit fuisse eximiam totius oesophagi coarctationem, quae vel in morte non nisi difficillime tolli poterat.

Altera via, qua saepius tubulum introduxi, ea est, qua per os ingeritur. Os eo, quem infra explicabimus, modo distinetur; quo facto tubulus in ipsas intruditur fauces. Quam alii commendaverunt methodum, ubi transversa in ore ponitur trabecula lignea, praedita foramine, per quod tubulus introducatur, jure vituperavit Jacobius [13]), quum aegrotus lingua ad palatum applicata aut foramini imposita quaevis medici conamina illudere possit. Non minus recte idem Jacobius monet, vomendi conatus in hoc rei agendae modo in universum esse et frequentiores et impetuosiores, quum tubulus linguae radicem et epiglottidem non possit non irritare; quapropter ipse quoque hanc agendi rationem nunquam fere inii, nisi naso impervio. Semel tamen aliquando hac via tubulum introduxi, ubi licet naso pervio, tamen ob vehementissimos vomendi conatus ad finem pervenire non potueram, quamquam tum nec hic rei peragendae modus meliorem daret successum. Quoties enim tubulum in fauces immiseram, toties ab aegroto retrudebatur. Quare digitum indicem ad uvam usque in fauces immisi, quo tubulum, ne retrudi ab aegroto posset, gubernarem. Nihilo tamen secius anteriorem tubuli partem post breve tempus e faucibus in oris cavitatem propulsam sensi. In tali casu cannulam metallicam, quae ad epiglottidem usque faucibus imposita tubulo pro gubernaculo esset,

---

12) L. c. pag. 238 et 250.

13) L. c. pag. 237 et 248.

haud ineptam esse arbitror, quamquam neque unquam hoc instrumentum adhibuerim, neque omnino alterum hunc rei instituendae modum commendare possim.

Quodsi demum sive hoc sive illo modo tubulus in ventriculum, aut saltem in inferiorem oesophagi partem pervenit, alimentum fluidum per infundibulum superiori tubuli parti affixum infunditur; quod fere semper nullo obstaculo retentum rapide in ventriculum defluit. Attamen interdum, tubulo sive muco faucium et oesophagi, sive jusculi parte spissiore obturato, liquor pervicacissime stagnat; qui vero saepissime solvitur, quum, ore ad infundibulum apposito, aërem in hoc imprimo. Aliam eamque obstinatiorem tubuli occlusi causam reperi eam, ubi tubulus infractus et duplicatus non in ventriculum usque introductus fuerat. In hoc casu aër in tubulum impressus nihil profuit, sed id solummodo, quod tubulum crebro quantum possem longissime protruderem, et retraherem; ac si vel tum tubulus non erat pervius factus, omnino extrahere opus fuit, nec raro tunc vel recentem tubulum ad fenestram superiorem infractum reperi. Quem quidem eventum quam maxime ingratum mihi numquam in tubulo ad fenestram superiorem amputato obtigisse, jam supra monui; neque etiam aut muco, aut jusculi parte spissiore talis tubulus tam facile tamve diu ac firmiter occluditur. Postremo quoque saepius, quamdiu aegrotus loquebatur, liquorem stagnare observavi; quod quidem ex ventriculi e diaphragmate profecto pressu satis apte explicari posse arbitror; cujus quidem rei semel exemplum dictu fere incredibile observavi. Aegrotus enim, quo obstinatiorem magis repugnantem nunquam vidi, quum jam tubulum, amputatum illum quidem, in ventriculum introduxissem, ea omnium virium intentione vomitum efficere studuit, tantaque vi diaphragmatis, musculorumque abdominalium ope in ventriculum egit, ut ex imo inde ventriculo et per totum tubulum jusculi radius duos ad tres pedes supra infundibulum prosiliret. Quum vero me animadvertisse arbitrarer, aegrotum multo minus in hoc conatu proficere, quum tubulus esset repletus, continuo huic explendo operam navavi. Caeterum arbi-

tror, spongiam in infundibulo positam non minus esse permissuram, libere liquorem in ventriculum defluere, quam, quominus hinc inde ab aegroto jusculum propellatur, praepedituram. Antlia stomachica, quam Burrowius [14]) prospero cum successu adhibitam esse dicit, hanc postremam semel tantum in tot casibus a me observatam rem praepedire quidem et tubulum quoque muco obstructum facillime expurgare potest; attamen leviores hae sane causae sunt, quam quae machinationem istam complicatam simpliciori methodo modo descriptae praeferendam commendare possint.

Nunc denique explicatis viis ac modis, quibus cibi in ipsum ventriculum ingerantur, ita ut vel deglutire supersedeat aegrotus, ad alteram methodum, qua, ut cibos ori infusos deglutiat, cogatur, explicandam me accingo.

Primo autem hic mihi fatendum est, hanc a me methodum per quinque solummodo menses postremos esse adhibitam, quum forte accideret, ut tubulum apte comparatum obtinere non possem. Quare licet non potuerim tot de hac methodo colligere observationes, quot potui de altera illa, tamen et obstinatissimum inter alios multos aegrotos habui, et firmam quoque ad superandas difficultates obvias viam mihi finxi. Praefandum vero hic mihi est, multo majorem in hac, quam in illa operatione instituenda, famulorum exigi dexteritatem et attentionem; quare horum quoque officium post operationem descriptam paucis designabo.

Plerumque in hac methodo, priusquam ad operationem perficiendam accedo, aegrotum in lecto ad libellam aequo supinum jacere praefero, nec nisi maxime repugnantes ad sellam alligari jubeo. Sellam autem magis reclinandam curo, quam in methodo priore, ita ut triginta circiter graduum angulum ad terram habeat; posterior enim fau-

---

14) L. c. pag. 666.

cium pars imum locum obtineat necesse est. Caput eo modo, quem infra explicabo, immotum tenetur, neque possum, quin enixe dissuadeam, ne caput justo magis retrorsum trahas; nam hoc si feceris, aegrotus deglutire prope nequit; id quod periculum in se ipso instituens unusquisque facile reperiet. Capite aegroti fixo, famulus deinde alterutrius manus pollice et digito indice aegroti nasum claudit; quo peracto os recluditur. Multi scriptorum aegroti os sponte aperiri dicunt; quod quidem, num unquam fiat, valde dubito; nam per dentes firmissime collisos spiritum duci non semel vidi; alii, inter quos praesertim Haslamus [15]) memorandus esse videtur, haud refutanda commendant; qualia varii generis sternutatoria sunt. Ego vero semper oris dictatorium ab Heistero commendatum in usum adhibui, quod a Pienitzio [16]) quoque et Rollerio [17]) laudari video. Quod quidem instrumentum, praesertim si dentes sani et justo ordine ori inserti sint, non sine magno interdum labore inter dentes immittitur; quare si minus ex voto id cessisset, sternutatoria in auxilium vocarem. Immisso vero instrumento, nunquam non dilatari os potest, quamvis tantam plerumque vim aegroti opponant, ut instrumenti, quo hucusque usus sum, brachia sint incurvata. Semel adeo dentis incisivi assulam diruptam vidi, quod vero postea semper evitavi instrumento inter dentes molares immisso. Ceterum ibi quoque hoc instrumentum adhibui, ubi nulli amplius erant dentes, nec non ibi, ubi nulli nisi carie correpti aderant, idque eo successu, ut nunquam aegroto damnum intulerim. Ori deinde instrumenti ope, quantum satis, distenso; trabecula lignea, decem fere pollices longa et quadrangularis, marginibus ope dolabrae obtusis, cujus

---

15) Observations on madness and melancholy by John Haslam, London 1809, page 320.

16) Beschreibung der Königl. Sächs. Heil- und Verpflegungsanstalt Sonnenstein, von Nostitz und Jänckendorf. , Dresden 1829. 1. 2. pag. 114.

17) Die Irrenanstalt nach allen ihren Beziehungen dargestellt von C. F. M. Roller. Karlsruhe 1831. pag. 256.

alterius per transversum diametri mensura paululum supra, alterius vero paululum infra pollicem sit ad latus dilatatorio oppositum ita immittitur, ut pars ejus anterior pollicem in oris cavitatem et supra linguam quidem promineat. Alii scriptorum, ut os distineatur, monere videntur obliti esse; quod vero nisi feceris, aegrotus sine dubio, quae ingesseris, respuet. Immo vero os distinere ne sufficit quidem; sed lingua quoque opprimenda est; ne, hac ad palatum applicata, quidquid ciborum ingesseris, efflet aegrotus. Varii scriptores in hunc finem variacommendaverunt. Alii enim, ut infundibulum ori imponas, alii ut cochlear, quo jusculum infuderis, in os inprimas, suaserunt. Haslamus [18]) instrumento suo, clavi haud absimili, et a Knightio quoque depicto, os distinet, simul linguam opprimens. Ego vero hunc utrumquo finem optime hoc modo mihi videor assequi.

1) Os, quantum quidem sine periculo, ne maxilla inferior luxetur, fieri potest, dilato, dilatatumque distineo illa trabecula lignea modo descripta. Quisque enim, ore quantum fieri potest aperto, linguae solummodo radicem ad palatum molle, minime vero linguam ipsam ad palatum durum admoveri posse, periculo in se ipso instituendo reperiet.

2) Trabeculam eousque in oris cavitatem immitto, ut proximam sibi linguae partem prope radicem tegat.

3) Extremitate manubrii ferrei juxta trabeculam in linguae radice posita, hanc fortiter deprimo. Cochlearis autem manubrii extremitas lanceolata et nonnihil devexa est. Tale ego cochlear ita manu teneo, ut pollex pone ipsius cochlearis antliae superficiem inferiorem convexam et infra manubrium, duo vero digiti proximi supra manubrium digitus annularis et minimus iterum infra, omnes illud decussantes, siti sint; deinde manubrii extremitatis partem illam devexam linguae radici superimpono; quo facto satis fortiter linguam deprimere licet. Caeterum ubi ad aegroti latus sinistrum stare opus sit, cochlear manu dextra, et vice versa, manu sinistra teneo.

---

10) L. c. pag. 318.

Quibus omnibus rite praeparatis, plerumque ex cochlearis extremitate linguae radicem irritante vomendi conatns oboritur; qui tamen mox desinit, dummodo jusculum in fauces infuderis. Obstinatissimi aegroti extemplo jusculum infusum efflare et exscreare conantur; quum vero ad hoc perficiendum liberam adhibere nequeant linguam, non nisi exiguam illius jusculi partem propellunt, quam illico expleas necesse est. Attamen solo aëre efflando minimum proficiunt aegroti, exscreando vero plurimum ciborum expellere possunt. Quare si hoc faciant, eorum os palma manus aut sudario pluries complicato clausum teneo, donec suprema venerit spiritus ducendi necessitas, ne tanta jusculi copia incassum dispergatur. Aegroti contra minus obstinati et quietiores primo nihil faciunt, donec animae ducendae necessitate pressi jusculum efflare frustra conentur. Postremo autem omnes animae ducendae necessitas summa premit, facies turget ac rubescit, plurimi desperatione quadam agitati omnes vires ad se deliberandum intendunt; nihilo tamen secius, quin deglutiant, nulla ratione impedire possunt. Quo quidem semel facto alii postmodo minus reluctantur, alii autem pertinacissima repugnare pergunt pertinacia, ita ut magna ciborum ingestorum pars extra os propellatur, nec tamen ullam unquam tantam observavi pertinaciam, quae non paulatim aliquantulum subsederit, nec tanta unquam jusculi copia exscreata est, quin et satis larga deglutita fuerit, dummodo operatio satis apte institueretur et famuli fungerentur satis attente officio suo, quod jam his paucis designabo.

Caput aegroti et trabecula lignea ab unico satis forti famulo hoc modo tenentur. Famuli pectus vertici aegroti firmiter innititur; deinde, altera palma ad alterum capitis latus ita applicita, ut media vola manus ad ipsam aurem, digiti ad regionem capitis lateralem posteriorem usque ad occiput, et pollex denique ad os zygomaticum apprimantur, alterius manus pugno trabecula prehenditur, quae, qua ratione os distenditur, eadem primo inter dentes incisivos, deinde inter dentes molares immittitur, et ore deinde, quantum satis videtur, extenso, ita tenetur, ut margo pugni externa alteri ossi zygomatico firmiter innita-

tur. Secundi famuli altera manu aegroti nasus clauditur, altera vas jusculum continens porrigitur. Hi famuli, siquidem aegroto in sella sedente operatio instituatur, sufficiunt; quodsi tamen aegroto in lecto cubante operationem instituere malis, praeter hos duos tertio etiam famulo opus est, qui pelvis parti inferiori cruribus varicatis insidens aegroti brachia teneat.

Explicata nunc utraque operandi methodo, qua, ne inedia pereant aegroti, praepedire possis, quum jam ad comparandas illas invicem accessurus sim, unde, utra prae altera sit eligenda, eliciam, vehementer quidem doleo, quod posteriorem methodum non tamdiu potuerim adhibere, quam priorem illam; etsi non mediocriter eo consoler, quod e solo tempore, per quod alterutram methodum adhibueris, vix unquam possis justam facere conclusionem, ut quae potius a casuum methodorumque natura petenda sit. Caeterum autem ubicunque tempore aliquid decidi posse videatur, ad Haslamum recurram, qui methodum, quae natura sua cum altera nostrarum una eademque est, per annos duodecim exercuit.

Quodsi igitur primo, utra methodo citius res transigi possit, quaesiveris, non equidem facile, utra utri praestet, dixerim. Prior enim methodus tempore valde variat; casus fuerunt, ubi intra quinas, alii, ubi intra tricenas demum horae partes, quas solemus appellare minutas, operationem perficerem. Altera contra methodus medium potius, ut plurimum, tempus obtinet. Attamen haec parvi omnino momenti sunt.

Gravior vero illa est quaestio, utra methodus minus injucunda sit. Celandum quidem non est, tubulum non raro introduci sine ullo incommodo; de qua re tamen non est, quod tibi admodum gratuleris; alii enim, in quibus fauste operatio successerat, omnem ejus timorem amiserunt, alii vel illudentes me, talem, dixerunt, in posterum tibi honorem saepius parabimus. Plerumque autem tubulus sive ob nasum

difficile pervium, sive ob guttur obstinate vomens dolores concitat vehementissimos. Aëris defectum non minorem quidem molestiam dicas; at vero ea certe est, quae non solum suapte natura, sed etiam, si ad eam rationem respexeris, quam ad operationem et perversam aegroti voluntatem habeat, a doloribus istis e tubulo proficiscentibus toto quasi coelo distare videatur. Primo enim dolorum perferendōrum patientia homini a natura data, aëris contra subtracti, ni graviter fallor, omnino negata est; quae cum ita sint, obstinato certe aegroto multo facilius doloribus, qui damnosissimi etiam ferri possunt, infligendis, quam aëre ad tempus subtrahendo damnum inferes. Praeterea utriusque molestiae ratio ita differt, ut illa potius cum operatione, haec contra cum ipsa aegroti voluntate perversa sic cohaereat, ut haec, quoties cochlear in os effuderis, toties frangatur, frangaturque ea voluntas, quae totius operationis causa fuit, ciborum dico non assumendorum voluntatem; quo quid excogitari possit aptius, equidem non video. Frangi interdum doloribus quoque voluntatem, frequens usus me docuit; ast hoc minus ex ipsius operationis natura, quam ex minore aegroti obstinatione proficiscitur. Caeterum praeter dolores alia, eaque vel magis ingrata, inter priorem operationem accidere solent. Quae enim toties oboriuntur vomendi conamina, non raro in summam me conjecerunt perturbationem, ut quae vel apoplexiam minitari viderentur. Accedit, quod tubulus dirumpi possit et pars abrupta in ventriculo aut oesophago relinqui. Casus mihi occurrit, ubi recentem adeo tubulum, quum extraherem, ad partem mediam, quo pacto non liquet, diruptum et unico solum filo cohaerentem vidi. Denique de eventu quam maxime ingrato, eo, puta, quando tubulus in rimam glottidis delapsus sit, verbo tantum moneo. Caeterum in secunda methodo illud quoque extimescendum videtur, ne quid liquoris in laryngem perveniat; quod vero periculum quam sit exiguum, inde jam elucet, quod Haslamus, licet tamdiu eandem operationem exsecutus sit, nullam tamen illius periculi mentionem faciat. Ego vero hujus rei timore initio perculsus postmodum attente animadvertens saepius observavi, priusquam anima ducatur, deglutiendo raro omnem hauriri li-

quorem. Nihilo tamen secius animam ducunt aegroti; quod dum fit, liquor in ore relictus simul cum aëre defluit, nec tamen laryngem, sed suo pondere deorsum latus pharyngem petit. Quamquam, etiamsi tussis oboriatur, quod vero mihi quidem nunquam accidit, omnem malum eventum praecavere possis, dummodo statim aegroto arbitrium facias ea, quae in laryngem forte delapsa sint, tussiendo removendi. Dentium vero curam quod attinet, jam supra dixi, me neque vetulae damnum inflixisse dentibus plane orbae, neque viro illis non nisi cariosis praedito. Quodsi nihilo tamen secius aliquod inde metuendum esset damnum, trabeculam ligneam bis terve corio molli obducerem. Quibus omnibus, si opus esse videatur, illud quoque e physiologia petitum argumentum, quo methodum posteriorem praestare colligas, adjicere licet, quod, quamdiu tubulum applicaveris, tamdiu oris et faucium nervis, quid quod oesophagi nervo Vago, nervorum, ut constat, abdominalium largo fonti, justum subtrahes irritamentum.

Quodsi denique quaesiveris, utra methodo tutius possis ad finem pervenire, in superioribus jam a me dictum est, illa priore operationis methodo abstinere saepius me boni consuluisse; altera contra nunquam me destituit, quamvis in eodem casu adhibita, ubi prior methodus me fefellerat. Huc accedit, quod, si altera methodo utaris, cibos spissiores possis ingerere; unde, quum ad vitam sustentandam hi magis apti esse videantur, haec methodus non solum ad operationis finem obtinendum, sed vel ad vitam diutius conservandam tutior esse intelligitur. Quamquam utraque methodo vita non nisi misere sustentatur; quare, etiamsi ab omnibus discesseris, ea prae altera eligenda erit methodus, qua aegrotus, ut sponte cibos assumat, saepius citiusque commoveatur. Hic vero etsi affirmare possem, mihi saepius priorem illam methodum per plures dies, quin semel aliquando per plures hebdomadas, alteram vero bis terve ad summum repetere opus fuisse, tamen nihil inde argumentari licere videatur; quare potius, hoc necessario esse eventurum, argumentis altius petitis iisque firmioribus probabo.

Omne, quidni vesanum quoque propositum, quo saepius relinquatur, eo magis labefactari, res est notissima. Atqui unusquisque aegro-

tus tubulo nutritus, qui causa quacunque sive nolit edere, sive nefas esse ducat, in eo facile acquiescet, quod revera se non edisse sibi persuaserit. Rem autem tum, quum altera methodus adhibeatur, longe esse aliam, nemo non videt. Nam etiamsi re accuratius perpensa non nisi coactus ederit, tamen edisse se minus negabit. Num vero illum, donec extrema venerit necessitas, exspectaturum esse putas? Jam supra enim methodum hancce posteriorem frangendo ciborum non assumendorum proposito esse aptissimam, uberius exposuimus. Annon igitur, ut brevis sit cruciatus, de propositi obstinatione remittet aegrotus? Sed quid multa? Ipsa enim experientia me docuit, aegrotum vel maxime obstinatum minus atque minus repugnare, donec serius ocius sponte cibos assumat. Maxime hoc aliquando a me perspectum est in aegroto, qui summa repugnantia priorem methodum saepe irritam reddiderat. Hic enim, quum posterior methodus, qua aegrotus, ut deglutiat, cogitur, primo adhiberetur, exscreando multos cibos ex ore ejecit, reliquis deglutitis. Secunda vice aliquid pertinaciae jam cessaverat, plus etiam tertia; deinde, quoties jusculum ori infusum absorpserat, repugnantiam non nisi simulavit, exscreandi solummodo fucum faciens; postremo, manu ejus a custode ducta, sponte jam edit, adhucdum post exhaustum quodvis cochlear exscreationem simulans. Idem simul risum nostrum eo maxime movit, quod exscreatione ficta cibos sese expulisse opinaretur. Immo vero quum jam non amplius exscreationem simularet, nec manus ejus duci opus esset, tamen per plures hebdomadas nihil se edisse, sed omnia exscreasse, pertinacissime affirmavit. — Praeterea denique si Burrowius [19]) ipsis suaviter olentibus cibis aegrotum allici affirmat, quid a cibis bene sapientibus exspectare licet? aut si aegrotus se non posse edere, opinetur, quo aptiore argumento, dummodo aliqua saltem ratio supersit, erroris convinci poterit? Quamquam his satis a me dictum esse puto, quo probarem, in universum hanc agendi methodum priori illi longe esse praeferendam.

---

19) L. c. pag. 462 — 63.

VITA.

Ego Guilelmus Loock, ecclesiae addictus catholicae, natus sum anno MDCCCII die secundo mensis Februarii in pago Hau, prope Clivias, parentibus Joanne Loock et Maria e gente Scholten, quorum illum pluribus inde jam annis morte mihi ereptum admodum lugeo, hanc divina gratia superstitem et satis bona valetudine utentem summa amplector venerorque pietate. Per puerilem aetatem primis literarum rudimentis imbutus et deinde patris aegriculturam tractantis vestigia secutus anno aetatis sexto decimo per anni spatium linguae latinae primordia doctus sum Calcariae, deinde per annum et dimidium Progymnasium Dorstense et postremo Gymnasium Cliviense per tres annos cum dimidio frequentavi, unde a Ludovico Nagel, huius Gymnasii eo tempore directore, qui proh dolor praematura morte tum literis, tum juventuti suae ereptus, anno MDCCCXXIV cum maturitatis testimonio dimissus ad almam Fridericiam Wilhelmiam Rhenanam me contuli ibique a Rectore Magnifico a Schlegel in civium academicorum numerum receptus est a decano cl. Scholz albo ven. facultatis theologicae inscriptus per duos annos has tum philosophicas, tum theologicas frequentavi scholas:

Studii academici et partes et ambitum, artem metricam et dictionem poëticam ad normam poëtarum nostratium explicatas ill. a Schlegel; encyclopaediam disciplinarum philosophicarum ill. Windischmann; logicam ill. van Calker; psychologiam ill. Elvenich; aestheticam, paedagogicam et historiam literarum germanicarum ill. Dellbrück; artem latine scribendi ill. Heinrich, Aeschyli Persas ill. Näke; fontes

historiae antiquitatis, historiamque aevi medii ill. Hüllmann; introductionem generalem in libros veteris et novi testamenti, artem criticam et hermeneuticam biblicam, archaeologiam biblicam, explicationem psalmorum, Jesaiae, evangelii Joannis actorumque apostolorum, epistolarum Pauli ad Corinthios, ad Romanos, ad Hebraeos, nec non epistolarum catholicarum et apocalypseos ill. Scholz; historiam ecclesiae romanae, et patristicam ill. Ritter; fundamenta theologiae christiano-catholicae ill. Seber; introductionem philosophicam in theologiam christiano-catholicam, et dogmaticam ill. Hermes; jus canonicum ill. Walter docentes audivi. Deinde relicto studio theologico et albo gratiosi medicorum ordinis a decano spect. Mayer inscriptus per annos quatuor deinceps sequentes has audivi scholas partim physicas, partim medicas.

Botanicen generalem me docuit ill. Nees ab Esenbeck sen.; chemiam experimentalem ill. G. Bischof; physicam experimentalem ill. a Münchow; mineralogiam ill. Nöggerath; zoologiam et zootomiam ill. Goldfuss.

Encyclopaediam et methodologiam medicinae, librorum Galeni de locis affectis explicationem, ore latino prolatam, hygieines et diaetetices praecepta et pathologiam tam generalem, quam specialem ill. Harless mihi tradidit. Osteologiam et syndesmologiam atque anatomiam generalem ill. Weber mihi exposuit. Anatomiam generalem et specialem cum totius corporis humani tum glandularum et vasorum lymphaticorum, physiologiam experimentis illustratam cum adulti tum foetus ill. Mayer me docuit, qui idem una cum ill. Weber in cadaveribus rite dissecandis dux, in instituto anatomico autem assistentis munere per annum cum dimidio fungenti praepositus mihi fuit. Pathologiam et therapiam morborum chirurgicorum, doctrinam de ossium fracturis et luxationibus, nec non de fasciis et deligationibus applicandis, ophthalmiatricen, doctrinam operationum chirurgicarum in cadaveribus instituendarum et instrumentorum apparatum ad illas perficiendas idoneorum ill. a Walther mihi explicavit. Materiam medicam universam,

medicinam forensem, epizootias, artem formulas conscribendi medicas tradentem ill. E. Bischoff audivi. Morbos psychicos, pathologiam et therapiam tam generalem quam specialem ill. Nasse h. t. decanus spect. me docuit; qui idem in propaedeuticis exercitationibus pathologicis per unum, nec non in clinicis et policlinicis exercitationibus tam pathologicis quam therapeuticis per duo semestria auctor mihi et dux fuit. In clinico et policlinico chirurgico et ophthalmiatrico per semestre auscultanti mihi ill. a Walther, et practicanti, ut dicitur, per semestre ill. Kilian dux fuit; qui idem artem obstetriciam universam, ejusque historiam pragmaticam, doctrinam de mulierum morbis operationibusque in his instituendis mihi tradidit, nec non in exercitationibus in phantomate instituendis et in arte obstetricia exercenda per annum dux mihi fuit. — Cursu academico sic peracto ill. Nasse, viro quemadmodum de caeteris discipulis auditoribusque suis, ita etiam de me pro singulari benevolentia optime merito, hoc debeo, quod assistentis munere functurus ante hos duos annos in nosocomium Siegburgense receptus sum ab ill. ejus Directore Jacobio; qui quidem vir et clarissimus et spectatissimus, dum ejus praecepta exsequor et sententias data occasione prolatas audio, praeceptor et dux mihi exstitit ut nunquam suffectura, ita nunquam cessatura colendus pietate.

Quibus viris omnibus, unice de me meritis, gratias, quam possum maximas, habeo et in perpetuum habebo.

THESES.

I.

Nulla adhuc satis apta explicatio exstat, cur incidente in retinam obversa rerum imagine, erectas tamen conspiciamus res.

II.

Morbi psychici, etsi corporis morbo nitantur, tamen plerumque ex animi affectu originem ducunt.

III.

Quare directa curandi methodus psychica multum valet, siquidem in animum vim exserere tendas.

IV.

Incassum autem logice disceptando aegrotum erroris convincere conaberis.

V.

Quamvis nulla vesania, nisi intellectu affecto.

VI.

In vesanorum cura exercenda tubulo, quo liquores in ventriculum ingeri possint, medicus carere nequit.

VII.

Hydroceles operatio per incisionem optima.

VIII.

Gastrotomia non omnino rejicienda.

IX.

Medici manus optimum pelvimetrum.

X.

Placenta in utero retenta infra proximas post partum horas arte in lucem edi debet.